



Disputatio medica inauguralis de ictero

<https://hdl.handle.net/1874/345218>

16.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
I C T E R O,

QVAM
AUSPICE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophia Doctoris, & Linguae Sanctae in Illustri
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,

UT ET

Amplissimi Senatus Academicus Consensu, & Nobilissima
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PROGRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &
Privilegiis, ritè & legitimè consequendis,

HENRICUS von SCHIFFART, Frisius Orientalis.

Ad diem 27. JUNII, ab hora semiundecima ad duodecimam.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc xciii.

DISPUTATIO MEDICO
ANATOMICA

D E O
PRINCIPI.

P A T R I A E.

P A R E N T I.

F A U T O R I B U S.

A C

A M I C I S.

TRAJECTORIA HANNIBALIS

Ex Officina LIBRARIOSCI HALMI, Accedente
LIBEROPPI, de Luxorii.



PROOEMIUM.

Quoniam investigatio causarum tanti in Medicinâ est momenti, ut illis non ritè perspectis, in numeri in praxi errores committantur, illud imprimis genuinis Aesculapii filiis incumbere existimo, ut in iis legitimè inquirendis omnem operam & industriam collocent, si ægrotantis saluti suæque existimationi consulere velint. Exemplum nobis præbet Icterus, cuius causam cum non nemo bilis abundantiam judicaverit, in tanta quantitate acidulas artificiales bilem destruentes patienti propinavit ut exinde convulsionibus coruptus animam efflaverit. Cum itaque longè aliam Ictero assignemus causam, paucis illam in medium proferre animum induximus. Cui conamini ut faveat Divinum Numen piissimis voreo suspi- riis.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ICTERO.
THESIS I.



Efiniri potest icterus, quod sit cæchixæ species, ubi cutis aliæque solidæ nec non quædam fluidæ nostri corporis partes præternaturali colore vel flavo vel subviridi vel nigro tinguuntur.

I I.

Distinguitur vulgo in *flavum* & *nigrum*, illiusque causa bilis, hujus autem melancholia dicitur. Verum hæc distinctio non magni est momenti nec tanta inter icterum *flavum* & *nigrum* intercedit differentia, quantam communiter existimant: cùm gradu solummodo ab invicem discrepent. Sic ut eadem particulæ, quæ in uno homine icterum *flavum* repræsentant, in alio si in majori adsint quantitate *nigrum* producere possint. Id quod ex sequenti experimento patet. Si spiritus nitri *flavæ* ictericorum urinæ affunditur, primò *viridis* emergit color. Quod si affusio ista continuetur, sensim ad *obscurum* & *nigrum* degenerat.

I I. I.

Insuper Zacutus Lusitanus opinionem nostram historiâ quadam, quam non ita pridem me legisse memini, confirmat. Refert enim aliquando contigisse, ut æstivo tempore duo messores operi suo intenti, ab unius ejusdemque viperæ morsu ex improviso lærerentur, quorum alter ictero *flavo*, alter autem ictero *nigro* correptus fuit. Cujus apparen-

INAUGURALIS.

apparentiæ sequentem rationem reddimus: quòd videlicet in istius hominis sanguine, qui, postquam à viperæ morsu acido-corrosivæ particulæ ipsi communicatæ fuerint, nigrum icterum est adeptus, in majori copiâ acidæ istiusmodi particulæ jam præexistenterint.

I V.

Causam icteri proximam non esse bilis abundantiam; ut vulgo creditur, unusquisque facilè animadvertiset, qui ejus indolem & eximum quem corpori nostro præstat usum æquâ rationis lance paulisper trutinaverit. Quoniam enim maximam partem constat salino-volatilibus & oleosis particulis ita inter se mixtis ut nullæ prædominium obtineant, nec torporem & lassitudinem, nec urinæ vel fæcum vel transpirationis imminutionem, nec nauseam, vomitum, præcordiorum anxietates, difficilem respirationem, cephalalgiam aliaque symptomata icterum concomitantia producere valet; Sed potius acidæ particulæ involvendo, viscidasque attenuando, sanguinis fluiditatem conservat ejusque motum circulatorium intendit, atque ita variis morbis imò ipsi ictero omnem occasionem præcidit. Adeò ut tum demum innumeri orientur morbi, quando bilis particulæ salinæ volatiles oleosæ in sanguine vel deficiunt vel à contrario acido infringuntur.

V.

Præterea in ictericis non observatur internus sanguinis restus, quem tamen ante propositæ sententiae fautores bilis abundantia e. gr. in Febribus ardentibus semper adscribunt. Sed torpor adest & lassitudo spontanea, manifesto indicio non bilem sive particulæ oleoso salinas & volatiles, quin potius viscosas & acidæ in hoc morbo peccare. Unde sanguis coagulatus & incrassatus nec debitè circulare nec sufficientem spirituum animalium copiam cerebro suppedire potest. Hinc musculi debito sanguinis & spirituum animalium influxu destituti operationes suas segnius peragunt.

V I.

Imò si bilis abundantia in sanguine icterum produceret, non solùm sanguis sed & omnes à sanguine secreti liquores amarum saporem præ se ferre deberent, cùm tamen nec sanguis, nec serum, nec urina, quamvis sit tam flava ut immixsum linteum colore suo imbuat, saltem & acidum saporem linguæ communicent, quemadmodum quidam mihi retulit qui eujusdam ictero laborantis urinam inscius gustavit. Quoniam scilicet patientis urina istiusmodi vitro, quo cerevisia contineri solet indita & unà cum alio vitro cerevisiâ repleto mensæ imposita fuerat, Medicus iste siti correptus vitrorum similitudine, præprimis cùm ambo liquores uno eodemque colore gauderent, deceptus, loco cerevisiæ urinam ori admovit.

V I I.

Ast objiciunt in ictero incipiente sèpiùs adesse vomitum maximè amaricantem, orisque amaritiem, quæ symptoma sine dubio bilis in sanguine abundantiam arguere dicunt. Verùm respondemus consequentiam illam minimè procedere; Quia eadem phœnomena in febribus intermittentibus, quarum causam nemo (quòd sciam) Medicorum bilem statuit, quoque observantur. Verisimilius itaque videtur vomitum istum oriri à particulis acribus ventriculi fibrillas nerveas nimjum vellicantibus. Unde spiritibus animalibus impetuosis influentibus, motus ventriculi invertitur & contenta per os expelluntur, facile autem fieri potest ut validâ illâ non solùm ventriculi, sed & partium adjacentium concussione una vel altera guttula bilis ex duodeno per pylorum in ipsum ventriculum ascendat, atque contenta ipsius amaritie flavoque colore imbuat. Dum verò particulæ istæ biliosæ vel mediante vomitu, vel sub formâ halituum versus linguam ascendunt ejusque poris inhærent, omnia amarum saporem præ se ferunt. Quæcunque enim tunc assumentur non agunt immediatè in contextum nervosum per linguam dispersum sed illas tantum particulas, quas poris linguæ inhærente diximus, altius adiungunt,

quæ

quæ proinde papillas nerveas insolitè commovendo amarum saporem producunt.

VIII.

Multò minus flavus corporis color, quo veteres decepti videntur, bilis in sanguine abundantiam probat. Omnia namque ramosa cum acido combinata semper flavescent, imò saepius ad rubedinem vergunt si acidiori sale instruantur. Quemadmodum experimentis chymicis abundè satis demonstrari potest, ubi terræ ramosæ vel olea quævis cum acido digesta ad flavedinem aut rubedinem summam declinant. Sic spiritus therebinthinae affuso oleo vitrioli confessim colorem bili similem repræsentat. Sic mercurius sublimatus corrosivus in aqua solutus affuso oleo tartari per deliquium rubescit. Si verd eadem solutioni parum salis ammoniaci addatur, flavescit, quia mediante hoc sale alcalico acidum in Mercurii corrosivi solutione contentum parumper destruitur. Imò plurima corpora acidiora terrâ ramosâ instructa suâ sponte ad flavedinem vergunt si aëri objiciantur; ut patet in oleo vitrioli albo, pomis, pyris concisis, aliisque.

IX.

Quod si aliquis antedictis rationibus non contentus ad hucdum sustineret, colorem in corpore flavum semper à bile ortum trahere, is explicet mihi quæso, unde flavæ & lividæ in scorbuticis plerumque, in contusionibus autem gravioribus semper apparentes maculæ oriantur? Non enim bilis hic accusari potest. In utroque enim casu aliqualis sanguinis est extravasatio, dum in scorbuto sanguis acer capillaria vascula corrodit, in contusionibus verò violenta causa externa eadem disruptit. Hinc sanguis ex vasculis suis eruptus stagnat & primò rubrum dein livido-cœruleum colorem oculis conspiciendum præbet. Volatilioribus particulis interea temporis avolantibus reliquæ stagnatione acidiores redditæ & cum ramosis terrestribus combinatæ flavedinem repræsentant. Bilis autem particulæ cùm ad motum sint fatis aptæ tamdiu circa cutim hærere nequeunt,

Nec

DISPUTATIO MEDICA

X.

Nec audiendi sunt illi, qui bilem ex vesicula fellea in hepar & ex hepate in massam sanguineam regurgitare magnâ voce contendunt. Iisdem namque difficultatibus quas antea recensuimus haec opinio premitur. Imò quis unquam evincet bilem corpus nostrum tam flavo colore posset tingere, cum rubicundissimum oleum in se contineat absconditum? quod purpureum sanguinis colorem potius exaltabit, quam ad flavedinem disponet: Præterea non rationi solùm sed & experientiae hypothesis ista contradicit. Quamvis enim ductus cysticus in animali adhuc vivente filo ligetur, nihilominus tamen bilis ex ductu hepatico in communem delata in duodenum sese indesinenter exonerat manifesto arguento bilem per ductum hepaticum non ad sanguinem sed ad intestina amandari.

X I.

Verosimilius itaque statuimus icterum oriri à particularum acidarum ac terrestrium bilem inviscantium in corpore abundantia & consequenter à particularum bilem componentium non solùm in vesicula fellea, hepate & sanguine sed in toto corpore, defectu. Quotiescumque enim acidum imperii fasces in corpore nostro tenet, toties bilis sub jugum trahitur & vice versa prædominant bile acidum necatur.

X I I.

Quod ut melius intelligatur animadvertisendum erit chylum post peractam ciborum in ventriculo dissolutionem acidum nimis existere. Ne autem acidus istiusmodi chylus sanguinem incrassaret variosque morbos produceret necesse fuit ut bilis tanquam lixiviosus & alcalinus liquor in duodenum fluoret, ibique acidum temperaret & chylum præterlabentem fluidorem redderet.

X I I I.

Quod si bilis, à quacunque demum causa fuerit, chylo non permisceatur aut nimis crassa & glutinosa existens, sale volatili destituatur, chylus aciditatem suam à fermenta-

mentativo motu in ventriculo conceptam retinet & sanguini commixtus ejus particulas ex quibus bilis deberet componi oleosas scilicet & volatiles magis adhuc destruit. Atque exinde ratio defumi potest quare ieterus flavus in nigrum saepius degeneret.

X I V.

Ne autem temerè talem causam ietero ascripissē videar, rationes quasdam, quibus hæc sententia suffulta est in medium proferam, quarum præcipuam præbet quotidiana experientia practica, quæ docet omnia medicamenta acidum corrigentia & bilem augmentantia, qualia sunt salia fixa, volatilia, oleosa & amara quævis primatum obtinere in cura ieteri. Quod si autem ab abundantia bilis in sanguine oriaretur ieterus, necessariò debebet curari medicamentis bilem præcipitantibus & corrigentibus e. gr. acidis. Verùm quām funestum acida in hoc morbo producant effectum non solùm aliquoties in practicorum libris legi, sed & ab expertissimis practicis andivi, imò in sequenti casu non ita pridem observavi.

X V.

Vir 57. annorum, vomitu admodum molesto per integrum annum circiter miserè divexus, febri intermitente corripiebatur. Cui postquam per aliquod temporis intervallum durasset ieterus superveniebat. Corpus siquidem viridi colore descedatum languebat. Appetitus aliquando erat depravatus, subinde totaliter prostratus. Præterea anxietates præcordiorum ægrum torquebant. Urina flavum ad nigrum vergentem colorem repræsentabat. Quapropter à musteo quodam Doctore & pseudochymico auxilium petiit. Qui acidulas artificiales statim propinavit, sed horrendis convulsionibus paulo post supervenientibus ægrum Parcis tradidit.

X V I.

Præterea opinionem nostram confirmat, quòd iis hominibus, qui acidæ & viscidæ diætæ dediti, vel morbis ut plurimum chronicis & præsertim tertianis ac quartanis sunt

10 DISPUTATIO MEDICA

sunt affecti icterus s^epissimè superveniat. Non enim tantummodo particulis biliosis volatilibus durante morbo corpus privatur, sed ægri præterea acida quævis e. gr. spiritum sulphuris & vitrioli, succum citri, saccharum, syrupos, julapia aliaque noxia bilem destruentia pleno gutture ad nauseam usque assumunt. Unde sanguis particulis activis orbatus, acidis autem & terrestribus refertus cachexiæ, cuius species est icterus, viam sternit.

X V I I.

Exinde facilè dari potest ratio, quare Medicus ille Antwerpensis, cui vinum rhenanum erat in deliciis, ictero correptus, ab illo prius liberari non potuerit, nisi postquam à vino rhenano (quo morbum suum profligare frustra laborabat) abstineret, & ad alia magis proficua medicamenta configureret. Simili modo patet quare à nimio spiritus vitrioli usu in hunc morbum incidere aliquis posset, quemadmodum amicus quidam coniunctissimus sibi contigisse mihi quondam narravit.

X V I I I.

Causæ icteri remotæ ex sex rebus nonnaturalibus commode peti possunt, inter quas cibus & potus vel qualitate vel quantitate peccantes primum locum obtinent. Præprimis nocent omnia acida, fructus horæi, pisces, pinguis, saccharata aliaque in ventriculo & intestinis putredinem facilè concipientia. Inter potulenta male audiunt vina austera & acidulæ immoderatiū assumptæ. Præterea aër frigidus; consuetæ evacuationes suppressæ, tristitia, moeror & solitudo hunc affectum nonnunquam producunt.

X I X.

Causa procatartica potest esse ira, quatenus impetuoso spirituum animalium existente influxu massa sanguinea alteratur & in determinatione suâ turbatur, unde particulis volatilioribus a volantibus acidis prædominium relinquitur. Talem icterum ab ira productum in gravida observavit Riberius Centur. 2.

Nec

XX.

Nec ira solū sed & assumpta vel venenatorum anima-
lium morsū eundem in scenā producere valent. Dum
scilicet venena acido-corrosivis particulis, iisque nonnun-
quam volatilibus, constantia, particulas acidās in san-
guine jam præexistentes adaugent & in actū dedu-
cunt. Sic icterum à morsu canis rabidi oriri posse histo-
riā quadam confirmat Bartholinus Cent. 3. hist. 4.
Eundem ex viperæ morsu fuisse productum annotavit
Zacut. Lusitan. lib. 5. Med. Princip. Histor. 29. Post mortum
denique aranearum icterum flavum obseruavit *Joel in praxi
venenis p. 126.*

XX I.

Signa diagnostica icteri variant prouti sanguis & ab illo
secreti liquores nunc majori nunc minori acidi copia sunt
referti. Nonnunquam enim corpus lividum, mox fla-
vum lividis maculis interspersis appetet, quā flavedine al-
bicans oculorum tunica quoque corripitur. Subinde ex-
terna cutis superficies ad cadaverosam nigredinem tendit
& summa durities circa abdomen percipitur. Alyus nunc
solitō est apertior, nunc adstrictior. Fœces alvinæ non-
nunquam flavum mox viridem, plerumque lividum & al-
bum colorem repræsentant. Urina viscida est & acida
flavoque colore imprægnata ita ut linteum album immis-
sum colore suo imbuat. Nonnunquam obscurè rubicun-
da conspicitur. Subinde ex viridi vel ex flavo & rubro ni-
gricans appetet. In initio est tenuis, in progressu verò tur-
bida & in statu copiosum sedimentum deponit. Tandem
alqualis ejus suppressio cum diaphoresi impedita obser-
tur.

XX I I.

Totius insuper corporis torpor atque lassitudo icterum
comitantur & pertinaces cephalalgiæ, dolores lumborum
gravativi, vertigines, præcordiorum anxietates, ac diffi-
ciles admodum respiratio ægrum infestant. Adeo quoque

mox sinistri, mox dextri hypochondri obtusus & gravatus dolor.

X X I I .

Quando icterus incipit summa oris amarities & sitis ægros divexat acsi pridie Baccho litassent ; Dein succedit nausea , ciborum fastidium & subinde vomitus. Interdum febris adest , interdum abest & quandoque icterum præcedit , nonnunquam symptomatice vel criticè ipsi supervenit.

X X I V .

Prognosis morbum hunc dubii eventus pronunciat ; quatenus videlicet ipsius causa vel levis vel gravis exstiterit , eatenus vel subito vel tardè curatur. Icterus flavus faciliter curatur nigro , imprimis si quartanas insequatur , tunc enim contumax & diuturnus esse solet : salutarem autem eventum pollicetur , si febri ardenti die VII . IX . XI . vel XIV . criticè superveniat. Tunc namque signum est brevi cessaturam febrem , lassitudine nihilominus spontaneâ & appetitu prostrato diu adhuc continuantibus. Contrà verò si à scirrho hepatis vel calculis in ipso latitantibus oriatur , nec non melancholia accedat , & anxieties præcordiorum appetitum prostratum concomitentur aliquid monstri alit , & facile in marasmus aut hydropem incurabilem definit , præsertim si urina à flavo ad obscurè rubicundum colorem transeat.

X X V .

Quamdiu alvinæ fæces nondum albescunt & alba oculi tunica nondum flavescit , tamdiu facilior ejus curatio existit. Si febris ictero superveniat & paroxysmi tempore flavus corporis color dispareat , deinceps autem denuò redeat , chronici futuri morbi est indicium. Quod si à veneno vel assumpto vel ab animali venenato sanguini communicato productus fuerit , pejor est vulgari & pro veneni qualitate nunc magis , nunc minus periculosus existit. Lethalis autem est si urina igni imposita coaguletur vel ad viridem aut nigrum colorem declinet. Tunc enim non raro

raro vertigines, deliria & convulsiones superveniunt, atque ægris vita filum abrumptu-

XVI.

In Cura icteri primariò annitendum ut enervata bilis activitati debitæ & fluori restituatur, ejusque defectus resarcitur, id quod fit, acidum in toto corpore abundans à viscidarum particularum amplexibus liberando & involvendo atque destruendo ipsumque viscidum postquam fuerit incisum & attenuatum unà cum acido è corpore educendo. Cui scopo inserviunt salia fixa, volatilia, aromatifica, oleosa & lixiviosa. Præterea convenientia aromatica amaricantia, spirituosa, anticachectica, præcipitania & involventia, terrestria, & sim. Purgantia & acida utpote quæ malum exasperant, meritò proscribimus.

XXXII.

Unde patet Diuretica, acidum præcipitantia nec non Sudorifera utramque in hoc morbo paginam absolvere.

Quem in finem

R. Summita. Chelidon. Major.

Fl. Centaur. min. aa. 3j.

Croc. Orient. 3j.

Sem. Petrofelin. Macedon. 3g.

Ocul. Cancr. 3j.

Myrrh. 3j.

Salis Alcal. 3g. XX.

Olei, deft. Macis gutt. vj.

M. F. Pulvis Dosis ad 3j. ter, quaterve de die lovi

XXXIII.

Cui pulvis non arridet sequenti utatur infuso quod in ictero magnarum est virium.

R. Semin. Cannabis 3g.

Sapon. Venet. 3j.

Milleped. No. XX.

Verm. Majal. No. IV.

Coquantur in lactis Vaccini & aquæ communis p. æ. aa.

B. 3j. A. 3j. 3g. viij.

Ibij, per horam circiter unam. Colatura citra expressio-
nem facta tradatur usui. M. totum Infusum intra xxiv.
horas absumatur.

XXXIX.

Insuper pro potu ordinario tale infusum diureticum in-
dies assumat.

Succ. Chelidon. Major. 3ij.
Sem. Petros. Maced. 3j.
Milleped. No. XXX.
Macis.
Lign. Sassafr. ad. 3ij.
Rad. Petroselin. 3ij.
Croc. 3j.
Lixiv. Saponar. 3b.
Infundantur in s. q. aquæ communis coctæ & adhuc fer-
ventis per horam circiter dimid. Colatura citra expressio-
nem facta tradatur usui adde Syrupi de Artemisia q. s. ad
gratiā.

XXX.

Huc quoque spectant Elixir proprietatis Paracelsi s. a.
paratum, ut & nonnulla infecta v. gr. Pediculi, cimices,
pedes et sim. Quod si vomitus urgeat assumat æger ali-
quot guttulas succi Menthæ in potu calido Thée vel Cof-
fée vel infuso Ligni fassifras. Si febris superveniat alcali-
na, oleosa & antifebrilia in usum vocanda.

XXXI.

Tandem attenuatis visciditatibus & acido parumper
involutu sudorifera convemunt, sic

Rad. Contrajerv.

Helen.
Angel.

Liquirit. aa. 3ij.

Lign. Sassafr. 3ij.
Extrahantur cum aqua ferventi per semihoram postmo-
dum.

Huj. Infus. 3ij.

Sal. Card. benedict.

Ocul.

Ocul. Cancer. aa. 3. g. E. A. D. Ge. minum P. g. E.

Sal. volat. C. C.

Crac. aa. gr. viij.

Camphor. gr. iv.

T R A H. V. S C H I

M. F. Haustus calide assumendus pro unâ dosi.

X X X I I .

De diæta non est ut multa moneam, cùm eam præsens Medicus facile dirigere sciat. Interim ne disputationis limites transgrediar finem facio, Deoque T. O. M. animitus gratias ago pro opitulante ipsius mihi clementissimè largita gratia, humillimâ mente flagitans, velit ulterius studia mea in S. S. Nominis sui gloriam proximique emolumenntum promovere & moderari.

COROLLARIA.

- I. Herba Nicotiana, quam Tabacum vocamus appetitum immunit & auget.
- II. In sale volatili urina conficiendo heic loci pauperum urinas ditatum anteponendas existimamus.
- III. Spiritus ex Opio s. a. destillatus cum spiritu Varioli maximam init effervescentiam.
- IV. Non omnia acida cogulant.
- V. Acida volatilia, fixis acidis commixta fumum caloremque producunt.
- VI. Sic spiritus vitrioli cum oleo vitrioli effervescit.
- VII. Non datur sal fixum ex regno animali.
- VIII. Animonium Diaphoreticum operationes suas absolvit ratione tantum terra, ideoque nihil aliusd quam caput mortuum esse existimamus.

F I N I S.

CAR.

CARMINA GRATULATORIA

Ad Doctissimum Dominum Candidatum

H. V. SCHIFFART.



Ein grimmig Mord-gewehr streuw't so viel
todter leichen
Als angemasse kunst , zu tenisch unwissen-
heit ,
Der Arzze, offie mahl's mach't jämmerlich er-
bleichen
Und in den Todt versetz't durch Unerfahren-
heit ;

Dann was ein Affer-Arzt zu weilen Ihm lä'ft träumen
Muss stracks versuchet seyn an dem , so nur erst kranck't ;
Und manche edle Seel muss Ihre Wohnung räumen ,
Weil die Genes-kunst Selbst das Bluth zum Stillstand lenckt .
In dem Chimisterey und deren Mißbrauch zeugen ,
Das auch ein Fchl-Griff nur den Siehl zum Beil beschehr't ,
Wofür der starcke Held muss seinen Nacken beugen
Und halten noch dazu den Mörder lieb und werkt .
Was macht's ? die Haupt-Ursach der kranckheit ist verborgen
Dem , so derselben sonst ein mittel schaffen solt' ;
Drumb ist der fleiss umbsonst und das unnutze Sorgen
Bring't eben so viel frucht als Kiesel-steine Goldt .
Zum Beyspiel : Wann ein Arzt den zu fall nicht ergrundet ,
Wovon die Gelbe Sucht den rechten Ursprung nimm't ,
Wird oft die kranckheit Selbst noch mehr und mehr entzündet
Durch das so doch dafur-zum mittel war bestimmt .
Ein scharfes Etwass ist's , das diese Seuch 'erwecket ,
Wie kan dann scharfes Saur dafur ein Mittell seyn ?
Kein nach-gemachter Brunn die kräffe so weit strecket ,
Nein dessen gleiche Artl schleicht-in's Gebluth hinein ,
Und mach't die Gelbsucht schwartz , ja gahr aus übel ärger ,
Bis mann dis Kirch-hoffs Farb ins krancken Angen schauw't ;

50

So zeigt sich bey dem Arztt oft ein verborgner Sterger,
Der die getraumte kunst auff lauter Trieb-sand bauw't.
Mein Bruder nicht also, Mach', dass du erst ergriindest
Der krankheit Ursprung und die krafft der Arzeney,
Biss du nach reiffem Rath bequame Mittel findeſt,
Womit zu einer Ehr die Welt gedienet ſey.
Die Themis wurdig't dich nunmehr den krantz zu tragen,
Sie gibt die Ubung frey und ſchenkt die höchſie Ehr,
So die Genes-kunſt zeugt; Mach das man nicht mög' ſagen;
Die freyheit ſeyle nur dein grimmig Mord-gewehr.

Dieses hat Seinem lieben Bruder zu Bezeugung
innerlicher affection ſetzen wollen

J. V. SCHIFFART. J. U. D.

Ad Nob. atque Doct. Dn:

H. V. SCHIFFART

Amicum conjunctissimum.



Ic, Magni Patris Soboles genuina, laboris
Affidui tandem premia digna capis!
Dum tibi Trajectum sua Doctoralia jura
Largitur meritò gratulor inde tibi.
Opto diu valeas, patriæ ſis gloria terræ:
Candidus hæc breviter ſcribere jussit amor.

JOHANNES TILING. M.D.

C

AD

A D E U N D E M.

(a) NB. Icterus avis a colore nomen habens, quae si spectetur, sanari id malum (Icterus-) tradunt, & avem mori.



CTERUS Ictericum (a) Leto Sanare putatur:

An verum, Medici linquitur arbitrio.

Consale SCHIFFARTUM, medicâ qui doctus in arte Demonstrat, tolli quâ ratione queat.

Quale malum arquatus, nec non quæ causa propinquat?

Quot species, quis sit cognitionis Apex.

Quod tandem medium, morbi quæ cura medendi,
Hic Medicus scriptis indicat egregiis.

Huic mentem Virtus, pectus sapientia munit,

Huic Machaon doctas arte reclusit opes.

Huc Patris & Fratris Te clara exempla vocabant
Subdidit ac stimulos hos alienus Honos,

Hinc Te Doctorem Medicum, spectante Lyceo.

Collegii medici nobilis ordo creat.

Et præsens celebrat dotes, absente Parente,

Cui Læto ex oculis plurima gutta fluit.

Cui tuus addit Honos vireis, nova gaudia gignit
Et reparat Senii tempora cana pii.

Vive, vige, flore, Vir præstantissime, multum,

Egrisque (b) utibilem, quam potes, affer opem.

(b) Plaut.
Menachm.
A. 5.6.v.23. Sic laudum pennis quondam tua Fama vebetur,

Et tua sanati nomina grata carent!

Ita gratulatur

Aurici Frisorum V.
Idus Maii 1693.

J. G. R.